Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35889
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

nando. Sit autem predictorum mansuum collatio
perhenni vigeat libertate omni iuri meo ab-
renunciavi penitus in eisdem. Ne in quacumque
de causa super hiis possit in posterum subori-
ri calumpnia, litteram hanc conscribi feci et
ad plenum veritatis inditium mei sigil-
li munimine roboravi. Huius itaque rei
testes sunt dominus Aloldus de Chamek do⁹
et Marquardus de Stritwesin, Ulricus ple-
banus de Aloldstein, Albero de Gersten. Item
Altmanus de Aloldstein. Otto de Ronspa-
ch. Item Marquardus de Stalek et alii quam
plures nobiles et honesti viri. Acta sunt
hec publice anno domini M°. CC°. LVIII.
in castro Chrumnawe presentibus pluri-
mis hominibus de ipso castro.

Universis Christi fidelibus presentes litte-
ras audituris Chunradus miles
de Zwetel dictus Poscho salutem in perpetu-
um. Cum bona vendita communi iure
transeant ad emptores ea tamen que devene-
runt ad dominium diversorum necesse est tradi
litteris ut a posteris quo modo transierint
ad vitandum litigium cognoscantur. Noti-
fico igitur cunctis presentibus et futuris quod Hain-
ricus patruelis meus dictus Poscho curiam
in Thurzpach iure sibi proprietatis attinen-
tem vendidit Hertwico cognomento Tu-
chel, compromittens eandem sibi et suis pos-
teris quietare ab omni inpeticione sicut
liberam possessionem que nulli propinquorum
suorum iure aliquo ~~iure~~ attineret. Idem
vero Hertwicus procedente tempore devo-
tione inductus pocius quam necessitate
curiam eandem domino Chunrado abbati
de Zwetel et ibidem conventui pro quadam sum-
ma vendidit perpetuo possidendam eo mo-
do quo sibi eam dictus Hainricus quie-
tare promiserat tam ad vendendum quam
ad libere possidendum. Que compromissio ut
esset evidentior voluntate tam dicti Hain-
rici fratris Leo de Hedrestorf honestos vi-
ros et ydoneos convocavit in quorum presen-
tia quem prius Hertwico de quietatione Cu-
rie promiserat confirmavit, promittens nichilominus
pro bona equivalentia redditurum quitquid in liber-
tate possessionis dicto conventui deperiret.
Actum publice in claustro Zwetel. Anno domini
M°. CC°. LX°. V°. Huius rei testes sunt: Dominus
Lupoldus de Zwetel. Marquardus Poscho.
Hainricus de Hage. Ortolfus de Dachs-
perch. Fridericus de Rosinawe. Chunradus
de Pygarten. Chunradus filius Chunra-
di Poschonis. Marquardus filius Mar-
quardi Poschonis. Wernhardus advocatus.
et alii quam plures testes ydonei et suffici-
entes.

Universis Christi fidelibus ad quos presens
scriptum pervenerit Wichardus de
Imcenstorf ministerialis Austrie salutem in
omnium salvatore. Quia temporum laben-
te curriculo rerum gestarum elabitur me-
moria debent ea que geruntur scriptis et
testibus perhennari. Hinc est quod presentium
tenore notifico universis presentibus et futur-
is quod de puro consensu filiorum meorum Ulri-
ci videlicet Heinrici et Rapotonis filiarum
quoque mearum Alheidis Chunigundis et
Gerdrudis bona mea in Reutte cum omni-
bus attinentiis eorundem cum domino Chunrado
abbate de Zwetel et conventu ibidem pro curia
ipsorum in Poesindorf commutavi eadem liberta-
te ipsis confirmans qua michi et meis liberis
iure proprietatis et hereditarie libere atti-
nebant. Preterea quicquid iuris dominus Al-
bertus de Chernerbrunne in prefatis bonis
habere videbatur ab eo redemi propter quod pre-
dictam commutationem per omnia ratam habens
cum manu uxoris sue domine Alheidis cum
manu et filiorum suorum Ulrici videlicet et Wern-
hardi, cum manu quoque filiarum Chunegundis
Gisle Wilwirgis et Alheidis omni iuri
suo in prenominatis bonis abrenuncians
una mecum cum liberis meis in manus fratris
mei Heinrici magistri lapidum de prefato
claustro eadem bona libere resignavit. Ve-
rum pro commutatione sepedictorum bonorum
duo talenta michi fratres ad eandem curiam addid-

Nota quod iste abbas Chunradus maxime propter commutacionem
possessionum Zwetlensis monasterii absolutus
fuit a regimine abbatie.